

zata, quam de sacro fonte levavit, vel e contrario susceptrix cum viro baptizato, nullum est matrimonium, atque idem est si susceptor cum matre baptizati, aut susceptrix cum patre ejus tentet contrahere. Et ratio est, quia Ecclesia potuit hoc impedimentum ponere, et usa est sua potestate, et sicut potuit ponere, ita potuit, vel ampliare, vel limitare, et de facto limitavit ad has personas. Et sane merito, quia hoc satis est ad spiritualem fructum supra declaratum, et alioquin tolluntur multa incommoda, quæ ex hujusmodi impedimentis sequi solent, si nimium multiplicentur. Unde constat primo, ablatum jam esse impedimentum spiritualis fraternitatis, quod inter baptizatum et filios susceptoris contrahi solebat; unde, jam inutiles sunt omnes quæstiones, quæ de hac fraternitate tractari solebant; solum ergo durat paternitas spiritualis inter susceptorem et susceptum, et compaternitas inter susceptorem et parentes suscepti. Secundo colligitur, si duo sint susceptores, vir scilicet et femina, inter eos nullum oriri impedimentum, quia neque juxta antiqua jura contrahebatur, ut omnes docent in 4, d. 42, neque Concilium Tridentinum novum aliquod impedimentum introducere voluit. Quocirca, quando Concilium inquit: *Ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum et illius patrem et matrem spiritualis cognatio contrahitur*, sensus illius particulæ inter quos, non est, quod inter illos inter se talis cognitio contrahatur, sed inter illos et alias personas, quæ statim numerantur. Quo fit, ut si vir et uxor alienum puerum de sacro fonte levent, nullum inter se contrahant impedimentum ad reddendum vel petendum debitum; probabile tamen est, eos peccare, simul ad hoc munus accedendo; nam licet Urbanus II, in cap. Quod autem, 30, q. 4, dicat, nulla auctoritate hoc reperiri prohibitum, ipse tamen decernit, ut minime hoc facere præsumant, propter majorem decetiam et puritatem; non existimo tamen hanc fore gravem culpam, quia materia levis est; imo si contrarium esset consuetudine receptum, facile possent ab omni culpa excusari. Tertio colligitur, si solus maritus sit susceptor, quamvis ipse contrahat cognationem cum baptizato, nihilominus uxorem ejus nullam contrahere, quia Concilium limitat illam ad ipsum susceptorem, et ita explicuit Pius V, in quodam Motu proprio, et notavit Navar., cap. 22, num. 39. Quod si objicias, quia vir

et uxor sunt una caro, et ideo impedimentum unius redundat in alterum, respondetur, negando consequentiam, tum quia hoc impedimentum est alterius rationis et ordinis; tum etiam, quia sola lege ecclesiastica est introductum, et ideo non extenditur ultra præscriptum legis.

6. *Dubium.* — Sed hinc oritur vulgare dubium: quid, si pater filium suum ex legitima conjuge natum, necessitate urgente, in baptismo suscipiat? an contrahat aliquod impedimentum cum sua uxore, ut saltem debitum petere non possit. Et est ratio dubii, quia Concilium generaliter dicit contrahi cognationem spiritualem inter susceptorem et matrem pueri baptizati. Respondetur tamen, nullum contrahi impedimentum; ita enim expresse declarat Joan. VIII, in c. Ad limina, 30, q. 4, quia pater non debet privari jure suo, jam per matrimonium adquisito, eo quod filio in necessitate subveniat. Unde neque baptizando illum tale contrahit impedimentum, ut ibidem dicitur. Concilium autem Tridentinum in hoc nihil de novo statuit, sed solam in his casibus, in quibus jure antiquo contrahebatur cognatio spiritualis, limitationem ad certum numerum personarum adhibuit.

7. *Aliud dubium.* — Respondetur primo. — Majus vero dubium est, si parens sine ulla necessitate filium suum in baptismo suscipit, an teneatur non petere debitum vel non reddere. Respondetur primo, si ex ignorantia facti, aut juris, seu ex errore personæ id fecit, non solum reddere, sed neque etiam petere prohiberi, quia existimatur ex necessitate quadam atque involuntarie fecisse. Deinde si sciens et videns ex malitia id faciat, certum est nihilominus teneri ad reddendum debitum alteri conjugii petenti, quia alter non debet privari jure suo ob peccatum alterius; et utrumque horum statutum est in cap. Si vir, de Cognatione spirituali, ubi corriguntur antiqua jura, in cap. 4 et 2, 30, q. 4. Idem vero colligitur ex cap. 3, et sequentibus ejusdem causæ et quæstionis. An vero in hoc casu sit prohibitum hujusmodi conjugii, qui proprium filium scienter de baptismo suscipit, petere debitum, merito dubitari potest; nam ille voluntarie et sine necessitate illud munus suscepit; ergo contrahit hoc impedimentum, quantum jure contrahere potest; potest autem merito privari jure petendi. Unde in citatis juribus, nunquam ei datur facultas petendi debitum, sed solum conjuge, tur non debere separari ab altero conjuge,

quia non debet illi malitia et fraus patrocinari, quæ ratio procedit de obligatione reddendi, non autem de jure petendi. Item, quia impedimentum dirimens matrimonium contractum, si superveniat post matrimonium antea contractum, saltem privat jure petendi debitum. Tandem hæc est communis sententia Doctorum, in 4, dist. 44, ubi D. Thom., quæst. 4, art. 4, et Quodlibet. 6, quæst. 3; Palud., quæst. 4, art. 4, conclus. 7; Soto, art. 3; Sylvester, verbo Matrimonium, 8, quæst. 7; Navar., cap. 46, num. 34; et Abbas, in cap. Si vir, de Cognat. spirituali. Nihilominus contrariam sententiam tenent Cardinalis, in d. cap. Si vir, et alii Doctores, quos Sylvest. supra refert. Quorum fundamentum esse potuit, quia hoc impedimentum seu prohibitio petendi debitum in eo casu nullo jure constat; ergo non est cur asseratur; nam in hujusmodi impedimentis et prohibitionibus, quæ ex jure positivo pendent, neque congruentiæ, neque argumenta a simili sunt efficacia. Antecedens patet, nam duo vel tria jura ad hoc adduci solent: primum est cap. Pervenit, 30, q. 4, quod quidem videtur expressam prohibitionem continere; tamen illud decretum manifeste abrogatum esse in cap. Si vir, de Cognat. spirituali, manifestum argumentum est, quod prædictum capitulum, Pervenit, loquitur etiam quando parentes per ignorantiam hoc faciunt, ut patet ex illa dictione, nescientes; at vero est certissimum ex aliis juribus, quando intercedit ignorantia, nullum hujusmodi impedimentum oriri. Rursus afferri solet capitulum De eo, 30, q. 4, et dictum cap. Si vir, in quibus solum dicitur, quod in eo casu, alter alteri non subtrahat debitum, non tamen dicitur, quod possint petere. Sed imprimis in his juribus non prohibentur petere; imo, in dicto cap. De eo, dicitur, ut etiamsi ambo conjuges ex industria id faciant, si nolint, non separentur, sed simul maneant et alia poena mulcentur. Ergo supponit illud decretum, licitum esse illis petere debitum, alioquin deberent per Ecclesiam quoad torum separari; cur enim Ecclesia cohabitare permetteret, non solum ut patres, sed etiam ut conjuges, eos, quibus ex impedimento et prohibitione ipsius Ecclesiæ non liceret debitum exigere? Et confirmo, nam in eo casu, quo uterque sciens et videns suscipit filium, volens et intendens contrahere impedimentum, si neuter potest petere debitum, neuter etiam potest reddere alteri petenti; ergo non possunt simul manere ut conjuges,

XX.

sed omnino tenentur alter alteri subtrahere debitum, quæ sunt contra prædicta jura. Prior sequela patet, quia qui sciens et videns voluit contrahere impedimentum, hoc ipso cessit juri suo, et quando ambo in hoc consentiunt, ambo sibi mutuo cedunt, et acceptant; ergo neuter postea jure petit, et consequenter neuter tenetur reddere; ergo nec licite reddere potest.

8. Quocirca libere fateor, nullum in jure me invenire sufficiens fundamentum ad hoc impedimentum asserendum. Neque etiam ratio illa cogit, quod scilicet hujusmodi impedimentum inter alios non conjugatos est dirimens matrimonium. Nam regula illa, quod impedimentum dirimens vinculum inter non conjugatos, impedit actum petendi inter conjugatos, habet quidem locum, quando in ipso jure non est restrictum impedimentum ad non conjugatos; at vero in præsentem ipsum jus hanc limitationem adhibuit, et ratio insinuat in c. Ad limina, 30, quæst. 4, quia hæc non est sufficiens causa ad separandos eos, quos Deus conjunxit. In c. vero Si vir, de Cognat. spirit., insinuat alia scilicet, ne detur occasio conjugibus, ut per fraudem et dolum toro separentur, et inducant impedimentum usui matrimonii contrarium. Exemplum afferri potest; nam qui baptizat filium suum in extrema necessitate, nullum impedimentum contrahit etiam ad petendum debitum; et tamen, qui baptizat filium alterius etiam in necessitate, non potest matrem ejus ducere uxorem, secundum communem sententiam, quia hoc impedimentum in jure est limitatum respectu alterius non conjugis. Itaque in hac re, solum est certum peccare graviter parentem, qui filium suum de propria conjuge natum in baptismo suscipit sine necessitate; hoc enim aperte prohibetur et asseritur in dictis juribus; quod vero postea teneatur hac de causa non petere debitum, non video, quo sufficenti fundamento asseratur; quamvis in re morali communem sententiam deserere difficile sit.

9. *Communis sententia.* — Ultimo dubitari potest in hac materia, an hoc impedimentum contrahatur in privato baptismo, vel tantum in solemnibus. Et quidem stando in jure antiquo, communis sententia affirmat contrahi, ut patet ex D. Thom., Palud., et aliis, dicta d. 42; Navar., cap. 46, n. 34, cap. 22, n. 40; et Covar., in 4, decr. 6, § 4, n. 4. Quorum fundamentum est, quia jura antiqua generaliter loquuntur de susceptore, non limitando

ad baptismum solemnem, vel privatam. Unde infert Navarrus, idem esse servandum nunc, quia Concilium Tridentinum nihil in hoc innovavit. Et addit in dicto cap. 22, n. 39, quod si in eo casu nulli designentur in paternos, omnes qui tangunt baptizatum, contrahunt impedimentum, etiam si sint plures, quam duo vel tres, quia Concilium Tridentinum solum restringit hunc numerum ad susceptores designatos. Nihilominus contrariam sententiam tenuit Soto, in 4, dist. 42, quæst. 1, art. 3, circa finem. Et fundamentum indicat his solis verbis, quia ubi non est solemnitas, non est proprie susceptor. Et ita interpretatur tacite jura antiqua; nam illa supponunt solemnem ritum baptismi, quo introductum est, ut præter baptizantem aliquis sit susceptor; nam seclusa illa solemnitate, cum aliquis corporaliter tantum teneat baptizatum, non sufficit ad munus susceptoris, et consequenter non satis est ad cognationem spiritualem contrahendam. Imo, quod in baptismo privato aliquis teneat baptizatum, est valde accidentarium et quasi materiale, et non fit propter caeremoniam baptismi. Unde si is, qui baptizatur, sit adultus, nunquam in baptismo privato aliquis adhibebitur, qui illum teneat, vel suscipiat; si vero sit infans, interdum baptizari solet in lecto, interdum in ulnis matris, vel alterius personæ, non propter caeremoniam, sed propter commoditatem, vel opportunitatem; quod certe non satis est ad spiritualem cognationem, quæ secundum jurium intentionem non est, nisi ubi est susceptor eo modo, quo speciali caeremonia Ecclesiastica est introductus. Quocirca hæc opinio, quamvis singularis videatur, mihi videtur satis consentanea rationi, et juri etiam antiquo; et ad minimum censeo, si is, qui baptizatum tenet, tantum (ut ita dicam) materialiter illum teneat, et non intendat illum veluti spiritualiter suscipere, exercendo circa illum quoddam Ecclesiasticum munus, et sub cura sua illum suscipiendo, eum nec posse proprie vocari susceptorem, nec contrahere spiritualem cognationem; et ita existimo fieri regulariter in baptismo privato. Unde cum ita fit, non oritur in susceptore illa obligatio instruendi baptizatum, quam supra diximus esse in solemnibus baptismis. Et ratio omnium est, quia tam obligatio, quam spiritualis cognatio, oritur ex proprio munere et actu susceptoris; hoc autem quamvis requirat aliquam actionem externam, non tamen in illa sola consistit, sed re-

quirit intentionem aliquam, saltem exercendi actum ab Ecclesia institutum. Adde præterea, quamvis in baptismo solemnibus necessarium sit adhibere susceptorem ex præcepto Ecclesiæ, eo modo, quo necessarium est servare alias graves Ecclesiæ caeremonias, tamen in baptismo privato hoc non esse necessarium, nihilque peccari, si omittatur, quia nullum de hac re extat speciale præceptum positivum. Item, quia si tunc non est necessarium servare alias caeremonias pro solemnibus baptismis ab Ecclesia institutas, cur erit necessarium hanc observare? Nihilominus tamen, licet hæc caeremonia tunc non sit ex præcepto necessaria, si tamen vere, ac proprie adhibeatur voluntarie, probabile est, quod communis opinio dicit, tunc contrahi cognationem spiritualem, quia tunc revera ille est susceptor, de quo jura loquuntur. Nam, quod aliæ solemnitates non adhibeantur, non impedit, quominus hæc possit impleri. Quo supposito, verum etiam est, post Concilium Tridentinum posse hanc cognationem contrahi in privato baptismo, quia Concilium nihil in hoc innovat, quod juri antiquo sit contrarium. Et quamvis dicat, susceptorem debere designari et admitti a paroco, tamen, vel id intelligendum est ordinarie, et in baptismo solemnibus, vel certe nomine parochi comprehenditur omnis ille, qui munus baptizandi loco parochi suscipit. Non probatur tamen mihi, quod Navarrus ait, tunc posse plures, quam unum vel ad summum duos, spiritualem hanc cognationem contrahere, quia est aperte contra limitationem factam a Concilio Tridentino. Unde etiam falsum existimo dicere, si nullus sit specialiter designatus in susceptorem, omnes qui tangunt puerum, seu tenent baptizatum, contrahere hoc impedimentum, quotquot illi sint, quia Concilium solum præscripsit numerum in susceptoribus specialiter designatis. Hoc (inquam) existimo falsum, sed potius in eo casu judico neminem contrahere tale impedimentum, quia Concilium simpliciter voluit, ut non possent esse plures susceptores, quam duo, vir scilicet et foemina. Et ad hoc voluit, ut qui futurus esset susceptor, esset specialiter designatus; et ideo, qui designatus non est, jam non est susceptor; et consequenter nec contrahit impedimentum; alioqui non evitarentur incommoda, quæ Concilium evitare intendit, si possent esse susceptores ad hoc munus non designati, vel plures quam designati. Quæ omnia etiam in baptismo solemnibus verum ha-

bent; ergo a fortiori in privato. Et hæc sufficient de susceptore et de cognatione spirituali, quam contrahit; quæ fere omnia applicari possunt ad susceptorem in sacramento confirmationis. Nam in omnibus est eadem ratio, his tantum exceptis, quæ ad baptismum privatam pertinent, ut infra suo loco breviter attingemus. De cognatione autem spirituali, quam contrahit minister baptismi, dicemus infra in parte morali, agentes de obligationibus ejus; ubi addemus aliqua, quæ de hac cognatione spirituali desiderari possunt.

### QUÆSTIO LXVIII.

#### DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

*Deinde considerandum est de suscipientibus baptismum.*

Et circa hoc quærentur duodecim.

1. *Utrum omnes teneantur ad suscipiendum baptismum.*
2. *Utrum aliquis possit salvari sine baptismo.*
3. *Utrum baptismus sit differendus.*
4. *Utrum peccatores sint baptizandi.*
5. *Utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.*
6. *Utrum requiratur confessio peccatorum.*
7. *Utrum requiratur intentio ex parte baptizati.*
8. *Utrum requiratur fides.*
9. *Utrum pueri sint baptizandi.*
10. *Utrum pueri Judæorum sint baptizandi, invitis parentibus.*
11. *Utrum aliqui sint baptizandi in matris uteris existentes.*
12. *Utrum furiosi et amentes sint baptizandi.*

Tractaturus D. Thom. in hac quæstione de his, qui suscipiunt sacramentum baptismi, in ejus discursu omnia complectitur, quæ ad hujusmodi personas pertinere possunt. Quæ ad quatuor capita videntur revocari, quæ sunt capacitas baptismi, ad quam spectant omnia, quæ ex parte baptizati necessaria sunt, ut baptismus fiat. Secundum est obligatio suscipiendi baptismum. Tertium est id, quod ex parte baptizati est necessarium ad consequendum effectum baptismi. Quartum est necessitas hujus effectus, seu baptismi ra-

tione illius. Quæ omnia persequitur D. Thom. in 12 articulis hujus quæstionis. Ne vero inchoatum a nobis ordinem invertamus, circa hanc quæstionem solum ex professo disputabimus ea, quæ ex parte suscipientis pertinent ad valorem et substantiam sacramenti, de qua nunc agimus, et quæ cum his necessario connexa sunt; de cæteris vero attingemus tantum ea, quæ ad intelligendam mentem D. Thomæ fuerint necessaria; longiorem vero disputationem, vel ad quæstionem sequentem, quæ est de effectu hujus sacramenti, vel ad doctrinam moralem hujus materiæ, in fine illius tradendam, reservabimus.

#### ARTICULUS I.

*Utrum omnes teneantur ad susceptionem baptismi (infra, quæst. 70, art. 2, ad 3, et 4, d. 4, quæst. 3, art. 3, quæst. 2, corp. et ad 3, et d. 6, quæst. 1, art. 1, quæst. 1, corp., et 4 cont., cap. 71).*

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non teneantur omnes ad susceptionem baptismi. Per Christum enim non est hominibus arctata via salutis. Sed ante Christi adventum poterant homines salvari sine baptismo. Ergo et post Christi adventum.*

2. *Præterea, baptismus maxime videtur esse institutus in remedium peccati originalis. Sed ille, qui est baptizatus, cum non habeat originale peccatum, non videtur, quod possit illud transfundere in prolem. Ergo filii baptizatorum non videntur esse baptizandi.*

3. *Præterea, baptismus datur ad hoc, quod aliquis per gratiam a peccato mundetur. Sed hoc consequuntur illi, qui sunt sanctificati in utero sine baptismo. Ergo non tenentur ad suscipiendum baptismum.*

*Sed contra est, quod dicitur Joan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Et in lib. de Eccles. dogmatibus, cap. 74, dicitur: Baptizatis tantum iter salutis esse credimus.*

*Respondeo dicendum, quod ad illud homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem, quod nullus potest salutem consequi, nisi per Christum. Unde et Apost. dicit, Rom. 5: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam, in omnes homines in justificationem vitæ. Ad hoc autem datur baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus incorporaretur Christo, factus membrum ipsius. Unde dicitur Gal. 3: Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Unde ma-*